

De imaginibus siue Constellationibus cæli
Septentrionalis Cap. xxx,

Quod imagines hic uocamus, proprie sunt Astra. Est enim Astrum uel Sydus animalium, aliarumque rerum in cæli ambitu effigies, ex pluribus Stellis constans. Stella singularis est, Sic Astrea, Helice, Taurus, Astra dicenda sunt, Arcturus, Syrius, Iuppiter, Mars, Stellæ. Cæterum ipsas hoc loco imagines breuiter percurram. Studiosus Lector earundem diligentiore explicatione petat ex Ptolemæo, Manilio, Higinio, Pontano, Arato & commentarijs in Aratum.

Vrſa minor, quæ & Cynosura & Septentrio & Plaustrum minus, ab equorum rotarumque specie nominatur, septem habet Stellas, quarum illa, quæ in cauda conspicitur, Polaris est, latitudinem habens gradum 66, quæque anno hoc 1526, recta linea ad 20, gradum Geminorū refertur. Sunt ipsæ autem Stellæ omnes magna ex parte de natura Saturni & Veneris.

Vrſa maior, quæ & Helice & Plaustrum maius nominatur, eandem figuram, eundemque Stellarum numerum habet, quæ Vrſa minor. Sed Helices Stellæ maiores sunt, ac maiori inter se spacio distant. Huic imagini attribuunt Stellas 35, quarum multæ tandem nihil faciunt ad effigiationem, feruntur omnes plurimum habere de natura Martis.

Draco siue Serpens inter ambas Vrſas flexuoso corpore situs est, semicingens scilicet utrancque, dicitur 30, habere Stellas, luscidas, tres in capite, & 12. in corpore, quæ omnes pro magna parte Saturninæ sunt, ac non nihil etiam Martiales.

Cepheus patulis manibus cum Zona & Ense effigiatur post Cynosuram, cuius Stellæ, quæ numero sunt 13, aut potius 19, putantur esse Iouiae & Saturninæ.

Arctophylax custos Erymanthidos Vrſæ, quem Booten uocat Homerus, Arctum maiorem sequitur, & Stellas complectitur 23. Inter quas rutila & fulgens quedam est, cui Arcturo nomen,

i 3 declis